Friedrich-Wilhelms-Gymnasium

zu

Greiffenberg in Pommern.

XIV.

OSTERN 1866.

Inhalt: I. Quaestionum Sophoclearum pars II.
II. Schulnachrichten. Beides von dem Director.

Greiffenberg in Pommern 1866.
Gedruckt bei Carl Kraut.

Ai. 59. 60. ἐγὼ δὲ φοιτῶντ' ἄνδρα μανιάσιν νόσοις
ὤτρυνον, εἰςέβαλλον εἰς ἕρκη κακά.

Minerva versibus superioribus exposuit, quanam ratione in greges Aiax, furore correptus, saevisset: ἔκειρε πολύκερων φόνον κύκλῳ ῥαχίζων, cum videretur sibi vel Atridas vel alium post alium ex ducibus interficere. Post narrat, quomodo, caedendo satiatus, reliquam vel boum vel ovium praedam in castra coegerit. Jam in medio hos legimus versus, quos supra notavimus: quibus quidem versibus Minerva hoc dicit, se ejus furoris caussam fuisse. Merito quaeras, cur Minerva eadem aliis verbis dicat, quae paullo ante dixerat: ἐγώ σφ' ἀπείργω, δυσφόρους ἐπ' ὄμμασι γνώμας βαλοῦσα, τῆς ἀνηκέστου χαρᾶς: quasi vero id, ne oblivisceretur Ulyxes, identidem ei inculcandum fuerit. Praeterea κἄπειτα, quod est versu 61, arctius cum versu 58 in unum coalescit, quam cum versu 60. Sed ipsa etiam verba habent, quo displicere accuratius spectanti debeant. Asyndeton illud ὤτρυνον, εἰςέβαλλον ferri posset, si Minerva ipsa cupidius haec dicere videretur: id vero nec deam decet, et ex cura illa, qua Ulyxem in investiganda caede aliquamdiu comitata est, parum verisimile est. Hoc loco illud Asyndeton prorsus absonum est. Jam si Minerva φοιτῶντα μανιάσιν νόσοις ὀτρύνει, hoc probari potest: ipsa enim in furorem Aiacem coniecit, ipsa eum excitat etiam magis: quamquam illud καὶ μᾶλλον desiderari potest: sed quid illa, quae sequuntur εἰςέβαλλον εἰς ἕρκη κακά? Nonne plane inutilia sunt? Jam enim ille insania captus grassatur, qua insania a Minerva afflictus est: quid illum insanientem etiam in alia retia inicit? Nam illud quidem, quod unum superest, quo verba haec quis tueri possit, dici vix potest, φοιτῶντα μανιάσιν νόσοις esse de eventu dicta, ita ut furore captus grassaretur. Quare equidem hos versus, qui et inutiles sint et sententiarum consecutionem turbent et ipsi parum concinni sint, ut subdititios eiiciendos puto.

Ai. 131. ὡς ἡμέρα κλίνει τε κἀνάγει πάλιν
ἅπαντα τἀνθρώπεια — —

Fuit vir Anglus ingeniosus haud dubie, qui in Diurnis Classicis (1815) pro ἡμέρα scribi iuberet ἦμαρ ἕν. Lobeckius, qua erat severitate ingenii, hanc coniecturam inutilem et supervacaneam vocavit: Godofredus Hermannus silentio praetermisit Nauckius in contextum verborum recepit. Id quod iure fecerit, non perspicio: equidem pravam hanc lectionem iudico. Loci Euripidei, quos infra citavit, ex alio genere sunt: hoc loco non agitur, quid unus dies mutationis afferre possit, sed quantis mutationibus tempus ac vita hominum obnoxia sint. Non multum refert, utrum illud uno die an pluribus accidat. Quod si quis ἦμαρ ἕν legat, eum necesse sit putare, uno eodemque die id fieri solere, ut idem cadat, idem erigatur Satis esse putaverim, si quis uno

1

die i. e. subito cadat, et rursus alio die ex calamitate emergat. Quare retineo ἡμέρα, qua voce tempus in universum describitur: hoc enim vult Sophocles, omnia humana vicissitudini esse obnoxia. Sed aliud erat, quod monere hoc loco volebam. Minerva non tam de bona fortuna quam de mala cogitat: non tam illud ἀνάγειν quam κλίνειν respicit. Certe dicendum fuisse dicas: ἀνάγει καὶ κλίνει. Sed Graecorum hic est usus, et sine dubio omnium gentium, ut eiusmodi notiones, quae ita coniunctae semper sunt, ut quasi iu unam coalescant, coniunctae proferantur, quasi, quae vis unicuique earum inesset, in oblivionem abierit. Sic Antigonae illo loco 40. τί δ', εἰ τάδ' ἐν τούτοις, ἐγὼ λύουσ' ἂν ἢ 'φάπτουσα προσθείμην πλέον; quem egregie defendit Boeckhius. Sic Oedipo Rege 10. τίνι τρόπῳ (i. e. quem ad finem) καθέστατε, δείσαντες ἢ στέρξαντες, Sic Ai. 475. τί γὰρ παρ' ἦμαρ ἡμέρα τέρπειν ἔχει προσθεῖσα κἀναθεῖσα τοῦ γε κατθανεῖν; quem locum ita interpretor, ut genetivum τοῦ γε κατθανεῖν ad προσθεῖσα potius quam ad ἀναθεῖσα traham, quippe in quo participio ipsa sententiae vis insit. Sic hoc loco κλίνειν et ἀνάγειν ita inter se coaluerunt, ut non singularum notionum sed iunctarum vis animo obversetur.

Ai. 152. καὶ πᾶς ὁ κλύων τοῦ λέξαντος;
χαίρει μᾶλλον
τοῖς σοῖς ἄχεσιν καθυβρίζων.

Nauckius verba τοῦ λέξαντος uncis inclusit. Et habent sane, quo legentium animos offendere debeant: Si enim, quicunque calumniantem audit, magis hoc ipso calumniatore gaudet, calumniatoris culpa et iniuria minuitur, non augetur: quare si Chorus hoc dicit, quasi se ipsum redarguere et confutare videtur. Sed ne sic quidem omni dubitatione soluti nobis videmur: quid enim sit illud χαίρει μᾶλλον, vix quisquam satis perspexerit. Nauckius „magis quam ante" inquit. At quis illud divinat, num antea laetati sint: videlicet dices, Aiace in certamine armorum victo. Sed illud iam pridem factum est; ex quo enim armis Achilles spoliatus est, perlongo otio torpuit in castris: 193. ἀλλ' ἄνα ἐξ ἑδράνων, ὅπου μακραίωνι στηρίζει ποτὲ τᾷδ' ἀγωνίῳ σχολᾷ. Ergo illa laetitia iam pridem defervuit: nunc ipsum non laetitia, sed contra ira grassari videatur. Ergo μᾶλλον illud absonum existimo. Sed ne quis ad emendanda haec verba se accingat, τοῖς σοῖς ἄχεσιν non debet ita excusari ut excusavit Lobeckius, locis undecunque collectis. Sophocles hoc loco τῶν σῶν ἀχέων nullo negotio scribere poterat: nec putandus est sine magna necessitate a sua dicendi ratione hoc loco discessisse, Jam si quis nexum sententiarum intuebitur, intelliget, posteaquam dixit Sophocles περὶ γὰρ σοῦ νῦν εὔπιστα λέγει, statim ita pergi debuisse: τῶν γὰρ μεγάλων ψυχῶν ἱεὶς οὐκ ἂν ἁμάρτοις. His enim verbis non laetitiae, sed fiduciae ratio et caussa explicatur. Quare equidem in eam sententiam propensus sum, ut versus, quos supra notavi, subditițios esse iudicem.

Ai. 168. παταγοῦσιν ἅπερ πτηνῶν ἀγέλαι

Licet fortasse τὰ πτηνά intelligere, sed si tam in promtu est, quo vividior

imago oculis proponatur, quam genere volucrum fit, excusationem quandam habet, cum scribere audemus χηνῶν i. e. anserum.

Ai. 193. ἀλλ' ἄνα ἐξ ἑδράνων, ὅπου μακραίωνι
στηρίζει ποτὲ τᾶδ' ἀγωνίῳ σχολᾷ.

En locum coniecturis vexatissimum, quas recenseri vix opus est. Rem tamen acu olim tetigit Ritschelius, cum nodum in voce ποτέ quaesivit, quae ferri non potest. Sive enim μακραίων sive μακραίωνι legis, tempus certe illud respicitur, quod inde ab illo armorum certamine praeteriit, quo tempore iniuriam sibi illatam Aiax aluit, donec in furorem erumperet. Illud vero tempus non incertum quoddam est, quod innui videri possit ποτέ particula, sed certum quoddam ac definitum. Ergo huic voci medela adhibenda est, si locum sanatum et restitutum velis. Ποτί, quod Ritschelius olim proposuit, ne ipse quidem vir egregius nunc probaverit. Equidem vel προπεσών vel, quod propius ad librorum lectionem accedit, προπετής i. e. humi abjectus, demissus correxerim. Sed etiam in proximis versibus quaedam sunt, quibus merito offendare. Videlicet si attendas ad metricam rationem, mirere, unum versum γλώσσαις βαρυάλγητα ab instituta ratione recedere. Pro βαρυάλγητα requiritur vox, cujus prima syllaba longa sit: nullam video, quae aptior sit quam καρδιάλγητα. Pergit chorus: ἐμοὶ δ' ἄλγος ἕστακεν. Sane interpretes in eo aliquid elegantiae odorantur, quod superbiae rapidae (ὕβρις ὁρμᾶται) tristitia immutata et durans opponatur: sed hoc argutius dictum videtur. Immo vero chorus dolorem sibi nasci, non durare conqueritur. Ne enim duret, precibus dominum aggreditur. Mihi, quotiescunque hunc locum tractavi, ea suspicio oborta est, num forte pro ἕστακεν scribendum videatur ἔσταкται, mihi dolor instillatus est.

Ai. 204. ἔχομεν στοναχὰς οἱ κηδόμενοι
τοῦ Τελαμῶνος τηλόθεν οἴκου.

Tecmessa hoc loco ita loquitur, tanquam ipsa ex Aiacis popularibus et Salamine nata sit: ut alio loco, nisi ei alio modo medendum videtur, (269) ἡμεῖς Tecmessa se cum Aiace ipso conectit arctissime. Nos enim laboramus idem fere valet, quod Aiax laborat et ipsa cum eo. Quamquam hoc, de quo nunc loquor, loco non dubito quin Martinus verum viderit, cum scribi iuberet: ἢ δίσσ' ἄρ'. Ergo cum Tecmessa ait, ἔχομεν στοναχάς, hoc ait, Vos habetis, cur lamentemini, et equidem una vobiscum. Quo constituto, iam licet quaerere, quid sibi velit illud τηλόθεν. An vero ex longinquo id est ex Troja Telamoniae domus curam agunt? Nonne ipsa Aiacis calamitas propius eos attinget, eaque res eos movebit, ut illi subveniant? Mihi quidem res longe aliter habere se videtur: τηλόθεν enim cum vel de loco vel de tempore dici possit, ipse de tempore cogito: nos qui inde ab longinquo tempore huic domui prospicere studemus. Ex longinquo vero tempore idem est, ac si dicat: vos et maiores vestri inde a remotissimis temporibus eius curam agitis.

Ai. 235 ὧν τὴν μὲν ἔσω σφάζ' ἐπὶ γαίας —

Ut Sophocles accurate inter boves et oves distinguit, quae Aiax noctu in castra compulit suaque aula inclusit, sic ea animalia non eadem ratione caedentem

eum facit. Veluti 298 est: καὶ τοὺς μὲν ηὐχένιζε, τοὺς δ' ἄνω τρέπων ἔσφαζε κἀρράχιζε, τοὺς δὲ δεσμίους ᾐκίζεθ' ὥστε φῶτας. Alterum enim illud αὐχενίζω refero ad oves, alterum ἔσφαζε κἀρράχιζε ad boves, quos in terram coniectos trucidat. Etsi αὐχενίζω interpretor non ita ut sit λαιμοτομεῖν, sed ut sit πιέζειν ταῖς χερσί, angere, compresso collo, égorger, de qua significatione vide, si placet, Henricum Stephanum. Ergo ovium colla comprimere cervicemque frangere dicitur, cum boves humi prostrati, capite sursum verso, trucidentur. Jam, ut ad eum locum revertamur, unde profecti sumus, vix quisquam dixerit, cur distinxerit ita, ut priore loco dicat: καὶ τὴν μὲν ἔσω σφάζ' ἐπὶ γαίας, altero vero, τὰ δὲ πλευροκοπῶν δίχ' ἀνερρήγνυ. Σφάζω enim genus caedendi est, πλευροκοπεῖν vero eius generis pars, quae notiones inter se opponi nullo modo possunt, non magis quam si Graecos et Thebanos ita opponere velis. Equidem certissimum habeo, etiam hic pro σφάζω verbum quaerendum esse, quo fere idem significetur, quod est in αὐχενίζειν. Talem vero videor vocem σφίγξ' deprehendisse. Jam habes opposita σφίγγειν et πλευροκοπεῖν. Ovium etiam hic guttura colliduntur, boves caeduntur; ἔσω et ἐπὶ γαίας utriusque partis communia sunt; quod moneo ideo, ne quis ἔσω σφάζε coniungere velit, quod in editione Schneidewiniana Nauckiana factum vides. Est enim ἔσω nihil aliud nisi in interiore aulae parte.

Ai. 256. οὐκ ἔτι· λαμπρᾶς γὰρ ἄτερ στεροπᾶς
ᾄξας ὀξὺς νότος ὥς, λήγει

Desperatum locum cum sanare quarerem, casu in eandem emendandi viam deveni, qua postea cognovi iam pridem Bergkium ei subvenisse. Pro ἄτερ enim coniecit ἅπερ, ὥς vero accentu notatum ad λήγει traxit, interpunctionis signo post νότος posito. Sed quod ἄρξας pro ᾄξας coniecit, id mihi minus bene fecisse videtur. Genetivi λαμπρᾶς στεροπᾶς sunt genetivi temporis, qui dicuntur: tempestate coorta; ᾄξας iam prorsus bene habet: ventus, qui exortus est quique per mare vehementer fertur.

Ai. 296. ἔσω δ' ἐσῆλθε συνδέτους ἄγων ὁμοῦ
ταύρους, κύνας βοτῆρας, εὔερόν τ' ἄγραν.

Sic Sophoclis verba emendavit Schnedewinius, videlicet ne, si εὔκερών τ' ἄγραν, quae codicum lectio est, scriberetur, ovium mentio omissa videretur, iterata contra boum mentione. Non tamen effecit ut, id quod primarium emendantis officium est, omni ex parte probabilis lectio prodiret. Quid enim? qui de praeda in tentorium coactal oquitur, is inter medios boves et oves canes interponet, quos Aiax haud dubie nec voluit una cum reliqua pecude capere nec potuit: nec in reliquis huius fabulae locis, in quibus de eadem re agitur, usquam illi in castra adducti dicuntur. Immo vero ut pastores gregum interfecti sunt, ita canes vel idem passos esse vel diffugisse verisimile est. Quare non id spectandum erat, quomodo εὔκερων emendaretur, sed in verba κύνας βοτῆρας potius animus intendendus erat: quamquam ne εὔκερών τ' illud prorsus vitio caret. Equidem in verbo βοτῆρας video id, quod vere Sophocles scripsit βοτά, ut 145 ὀλέσαι Δαναῶν βοτὰ καὶ λείαν vel 231 συγκατακτὰς — βοτὰ καὶ βοτῆρας.

Idem ut hoc loco restituatur, scribo ταύρους τε βοτά τε πάντα, πολυκέρων ἄγραν. πολύκερων vero de omni rapta praeda hoc loco non minus apte dicitur, quam supra 64 ὡς ἄνδρας, οὐχ ὡς εὔκερων ἄγραν ἔχων. Nec enim in eiusmodi adiectivis compositis tam altera compositi pars respicitur, quam prior, ita ut in εὔκερως egregiam in πολύκερως copiosam illam praedam fuisse cogitemus: altera adiectivi pars non tam, ut definiat quam ut distinguat et quasi vivis coloribus pingat, adiuncta est. Eadem ratione etiam supra 55. πολυκέρων φόνον vel ad boves vel ad oves pertinere facile intelligis.

Ai. 321. ἀλλ' ἀψόφητος ὀξέων κωκυμάτων
ὑπεστέναζε, ταῦρος ὣς βρυχώμενος.

Aiax postquam, quid sibi accidisset quidque furens commisisset, ex Tecmessa audivit, statim ἐξῴμωξεν οἰμωγὰς λυγράς, quales nunquam ante ex eo quisquam audiverat. Sic enim iudicabat, ita lamentari virum fortem non decere, sed parvi et humilis ingenii esse. Jam sic pergit poeta: sed acri lamentatione abstinens leni voce suspirabat, ut mugiens taurus. Ergo idem et acriter lamentatur et rursus suspirat et id facere dicitur veluti mugiens taurus. Sane etiam tauri obscurum suspirium novimus, sed qui comparationis caussa mugientem taurum dicit, eum alta voce clamitantem intelligi vult. Haec, si quid video, inter se non conveniunt. Quare equidem illos versus, quos supra notavi, ejiciendos puto. Primum quidem, inquit Tecmessa, Aiax eiulatus est magna voce, nunc vero demisso animo inter medias, quas trucidavit, pecudes consedit.

Ai. 374. ὃς χεροῖν
μεθῆκα τοὺς ἀλάστορας, ἐν δ' ἑλίκεσσι
βουσὶ καὶ κλυτοῖς πεσὼν αἰπολίοις
ἐρεμνὸν αἷμ' ἔδευσα.

Jam pridem fuere, quibus adjectiva ἕλικες et κλυτά parum concinnitatis habere viderentur; alterum enim ipsam formam taurorum repraesentat, alterum, ironice dictum, greges caprarum ita describit, ut ex illis laudem capi posse negetur. Quare extitit nuper vir doctus, qui ἐκλύτοις commendaret. Sed primum ἕλικες non necesse est ab Sophocle ita intellectum esse, ut cornua tortuosa significaret: immo vero fieri poterat, ut, quaecunque eius vocis Homerica vis est, ipse tamen potius de incessu tortuoso cogitaret, propter quem boves minus vel ad pugnandum vel ad fugam capessendam apti viderentur, ut etiam sic Aiaci cum admodum invalidis adversariis res esset. Idque, ut equidem puto, hoc loco ἕλικες valet. Quá in re qui mecum facit, is etsi iam ἕλικες et κλυτά iuncta facilius toleraturus videri potest, quia utrumque adjectivum infirmitatem pecudum describit, tamen ipsa ironia, quae inest in voce κλυτός, mihi non probatur: atque haec est caussa, cur aliud adjectivum magis proprium et huic loco aptius circumspiciam. Fortasse von multum aberraveris, si mecum κακιδνοῖς scribas, quod ab κλυτοῖς litterarum figura et ordine quam minime recedit.

Ai. 406. εἰ τὰ μὲν φθίνει, φίλοι, τοῖςδ' ὁμοῦ πέλας.

Unum ex longe vexatissimis huius fabulae locis attigîmus, de quo tamen facere non possumus quin etiam nos quid existimemus promamus. Ut verba nunc sese habent, corruptissima sunt, sive versum sive sententiam respicis, nec minus in stropha vitiosa quam in antistropha. Sed in eo tamen licebit principio consistere, ut versum, quem supra laudavimus, dochmiacum esse statuamus, quo videlicet metrica compositio redeat ad initium strophae, quod et ipsum natura dochmiacum est. Jam interpretum coniecturae in diversissimas partes discesserunt, ut inutile sit, omnes recensere de eisque iudicium ferre. Unus Lobeckius sagacissime intellexit, in voce τοῖς δ' eam notionem latere, quae hoc loco desideraretur, scilicet τίσις. Jam equidem sic lego: εἰ τάδε μὲν φθίνει, τίσις δ' οὐ πέλει, i. e. si haec omnia, quae adhuc mea fuerunt, velut fortitudo, laus bellica favorque exercitus — explicationis caussa fuit qui et ipse annotaret φίλοι, quod deinde ex margine in textum migravit — pereunt, ultio vero mihi non contingit, immo vero ad insanientem venationem incumbimus. Sententiam hauc sanam ac bonam esse nemo est qui infitiari velit. In antistropha vero, quae etiam ipsa metrica ratione corrupta est, verba poetae fortasse restituemus, scribentes: ἔπος | ἐξερέω μέγ' οἷον Τροί' οὔτινα | δέρχθη etc. ita ut στρατοῦ quae vox admodum inutilis est, reiciatur. Videlicet non de eis tantum cogitat, qui nunc ipsum in agro Troiano sunt, sed etiam de eis, qui antea ex Graecia eo venerunt, quorum in numero ipse Telamon, Aiacis pater, est.

Ai. 483. παῦσαί γε μέντοι καὶ δὸς ἀνδράσιν φίλοις
γνώμης κρατῆσαι, τάςδε φροντίδας μεθείς.

Aiax paullo ante ita peroravit, ut satis significaret, se eis quae dixisset ne unum quidem verbum additurum esse: πάντ' ἀκήκοας λόγον. Atque Chorus ipse confitetur, ea, quae Aiax dixerit, prorsus ex eius ingenio ac natura esse. Nihilotamen minus iam ab Aiace petit, ut desinat suam sententiam defendere, amicisque viris aures praebeat Παῦσαί γε μέντοι, inquit, id est, nihil aliud si additum est: tace. Sed illud tace apud eum dicit, qui iam sua sponte conticuit quique paullo ante se iam taciturum esse professus est. Sed ne hoc satis sit absurditatis, amicis hominibus id est nautis illis Aiacis popularibns rogat ut venia detur illum refutandi. Sed non ἄνδρες φίλοι illum coarguere student, sed Tecmessa. Atqui nemo ἀνδράσι dixerit nulla sexus ratione habita dici potuisse. Tertium est, in quo merito quis haereat, quod γνώμης κρατῆσαι dixit, non addita ea notione, in qua omnis orationis nervus inest, τῆς σῆς. Hoc pronomen prorsus necessarium est, ubi alter ne pertinaciter in sua sententia persistat, sed ab altero se convinci patiatur agitur. Atque haec tria satis magni momenti esse puto, cur hosce versus subdititios censeamus.

Ai. 815. ff. ὁ μὲν σφαγεὺς ἕστηκε etc

Aiax, qui modo ensem fatalem terrae infixit, ab ea opera redit atque ad spectatores conversus ait: ensis quidem bene infixus est solo, ita ut aptissimus ad me perforandum sit: hoc enim videtur τομώτατος significare, non aciem ferri bene

praeparatam. Sequitur iam parenthesis, in qua, quae est Graecorum natura, Aiax singularem ensis illius naturam secum reputat, primum quod inimici donum sit, deinde quod infixus sit solo inimico. Jam nemo est quin miretur, quod iterum dicat ἔπηξα δ' αὐτόν et quae sequuntur. Atque erat, cum, ut certe aliquid novi accederet, emendare vellem: ἔπηξα δ' αὐτός, meis manibus ensem praeparavi. Sed nunc tamen aliam rationem praefero. Scribo enim ἔθηξα δ' αὐτόν — cui sententiae etiam illud, quod sequitur, εὖ περιστείλας magis convenit. Acuendi enim ensis cura aliquanto maior est, quam defodiendi. Sed si hoc verum est, ut mihi quidem videtur, removendus est versus 820 σιδηροβρῶτι θηγάνῃ νεηκονής, etsi satis tragice sonat, et profecto Aeschylo non indignus est, ex quo, ut dicam quid sentiam, huc influxisse illum putaverim. Sic repetitione eiusdem et verbi et sententiae evitata, omnia optime et arctissime inter se cohaerent.

Ai 841 ff. αὐτοσφαγῆ πίπτοντα etc.

Versus 841. 842. Nauckius uncis inclusit; Wesselingius iam pridem versus 839 — 842 ut subditities notaverat, secutique illum sunt Bergkius et W. Dindorfius, qui eos vel ex contextu verborum eliminavit. Mihi res aliter se habere videtur. Usque ad vocem πίπτοντα omnia sana ac vera existimo: quae sequuntur a versu 841 usque ad versum 844 non a Sophocle scripta, sed lacunae casu ortae explendae caussa addita sunt. Primum enim displicet, quod poeta, ut nunc sunt verba, a tertia persona nulla iusta caussa ad alterum transit. Καλῶ δ' ἀρωγοὺς τοὺς ἀεί τε παρθένους etc. ante dixit; nunc subito erumpit in verba: ἴτ' ὦ ταχεῖαι ποίνιμοί τ' Ἐρινύες. Jam vero nec apparet, cur, postquam in capita Atridarum perniciem precatus est, his universum exercitum addat, et, si hoc excusari potest, quod Achivi ipsi iniuriam inferri aequo animo passi sunt, cur id non factum sit interposita aliqua coniunctione, qua progressus ille significetur. Nolo urgere quod Erinyes nunc ταχεῖαι dicuntur, quae paullo ante τανύποδες dictae erant, quod ποίνιμοι dicuntur, quae antea ὁρῶσαι πάντα τάν ι βροτοῖς πάθη vocabantur: sed prorsus idem aliis verbis dictum esse, nemo negaverit. Etiam asyndeton quod dicitur, γεύεσθε, μὴ φείδεσθε fortasse offendet; confera s locum hoc non minus suspectum v. 60. de quo supra disputavimus. Nec puto γεύεσθε πανδήμου στρατοῦ satis bene dictum esse: siquidem gustamus partem rei, non omnem rem. His ergo de caussis hos versus extirpari iubeo.

Ai. 854 — 858. ὦ Θάνατε etc.

Nolumus in eis morari, quae ab aliis de omni loco, ex quo illos versus enotavi, disputata sunt, sed quam brevissime indicare, cur eos versus interpolatos iudicemus. Dicit poeta v. 856. ὦ φαεννῆς ἡμέρας τὸ νῦν σέλας, cum et antea Aiax Solem allocutus sit 846, et infra iterum ὦ φέγγος invocet. Atque πανύστατον δὴ κοὔποτ' αὖθις ὕστερον licebit alloqui lucem diei, sed non lucem huius ipsius diei τὸ νῦν σέλας. Hoc non morituri est sed omnium eorum, qui sequentem se lucem aspecturos esse sperant. Porro Mortem gravissima precatione, ut sibi subveniat, implorat: statim autem, quasi ipsum eius voti poeniteat, illam remittit, quod apud inferos satis cum ea commercii

habiturus sit. Solem denique διφρευτήν appellat; supra idem multo elegantius dicebatur ὦ τὸν αἰπὺν οὐρανὸν διφρηλατῶν. Atque hae opinor caussae sufficiunt, cur eos versus exterminandos putem.

Ai. 966. ἐμοὶ πικρὸς τέθνηκεν, ᾖ κείνοις γλυκύς,
αὑτῷ δὲ τερπνός

Sic apud Nauckium et Wolffium haec verba ex Schneidewinii coniectura, sane elegantissima et acutissima, constituta vides: sed ne sic quidem eis, quae sententia loci requirit, omni ex parte satisfactum videtur. Etenim si illam coniecturam probamus, dolor Tecmessae ac laetitia Aiacis inter se opponuntur; at vero id potius vult Tecmessa, Aiacis mortem non Graecis solum, sed etiam ipsi iucundam fuisse. Ergo, ne illi triumphent, ait κείνοις γλυκὺν et αὑτῷ τερπνὸν illum interiisse. Quod Tecmessae dolorem reliquit, minus respicitur et quasi transeundo conceditur. Quam sententiam sic efficies, si scribes, κεἰ κείνοις γλυκύς, αὑτῷ γε τερπνός. Minus quiddam est in τερπνός, quam in γλυκύς; eaque de caussa maxime placet particula γέ: si illis dulcis occidit, certe sibi non iniucundus: est enim id, quod voluit, consecutus.

Ai. 986. — — — μή τις ὡς κενῆς
σκύμνον λεαίνης δυσμενῶν ἀναρπάσῃ.

Leaena κενή quomodo dicatur, vix dixeris: utrum ea, quae procul sit ab nato, an ea quae, videlicet ita ut effectus praesumatur, nato orbata sit? Atque si nati fortasse dici possunt κενοί, praesertim, ut fit eo loco, quem Lobeckius excitavit, praecedente matre, quae vidua appellatur, nullo tamen modo etiam mater ita vocari poterit. Equidem puto σκύμνον, vocem alioquin optimam et aptissimam, hoc tamen loco corruptione natam esse, et pro eo scribendum στρωμνῆς.

Ai. 1077. 78. ἀλλ' ἄνδρα χρή, κἂν σῶμα γεννήσῃ μέγα
δοκεῖν πεσεῖν ἂν κἂν ἀπὸ σμικροῦ κακοῦ.

Sententia huius loci haec est: neque urbs bene constituta esse potest neque exercitus in obsequio esse, nisi metus et pudor in eis valeant. Cuicunque enim metus et pudor insunt, eum scito salutem afferre civibus; ubi vero civibus licet agere, utcunque libuerit, eam urbem scito postremo interituram esse. Haec omnia inter se bene conveniunt, etsi in singulis verbis sunt, quae minus placeant: ut primo loco solum δέος legimus, altero φόβον et αἰδῶ, tertio item δέος et αἰσχύνην. Sed, ut dixi, tamen satis conveniunt. Atqui in medio interpositi sunt duo versus, quos supra scripsimus, ei turbant nexum sententiarum. Etiamsi quis, ait, corpore magno fuerit, tamen timere debet, ne parvo quodam malo concidat. Idne ei timendum est, an vero legum reverentia ita ei agendum? quippe quae divinitus constitutae sint, satisque valeant ad puniendum et affligendum eum, qui eas violare audeat. Nec magis videas, cur magni potius corporis hominem dixerit, quam magnae vel nobilitatis vel potentiae et opum. Haec prorsus prava et absona sunt, cumque divellant nexum sententiarum, eiiciendi mihi hi versus videntur. In versu 1076. quod legitur πρόβλημα φόβου καὶ αἰδοῦς, vix dixeris, quid sibi velit. Πρόβλημα enim id est, quo quis accedere prohibetur, qui tibi peri-

culum paret: hoc vero loco id dicitur, quod te aliis iniuriam inferre probibeat. Est enim πρόβλημα campestre illud, quo in certaminibus publicis utebantur ei, qui in publicum prodibant. Id quasi signum pudoris iu eos translatum est, qui metu et pudore regi se patiuntur.

Ai. 1085. καὶ μὴ δοκῶμεν, δρῶντες ἂν ἡδώμεθα,
οὐκ ἀντιτίσειν αὖθις, ἂν λυπώμεθα.

Coniunctivus ἡδώμεθα rectissime scriptus est: si facimus, quidquid nobis iu mentem venerit, lubitum fuerit, nulla officii ratione habita. At vero ut ille optime habet, ita prorsus displicet is, qui sequitur, λυπώμεθα. Quid enim? nos patiemur, quidquid dolorem pariet? an vero: patiemur aliquid, quod fortasse dolorem pariat? Ergo si quid video, scribamus: λυποίμεθα.

Ai. 1100. ποῦ σὺ στρατηγεῖς τοῦδε;

An scribendum ποῦ σὺ 'στρατήγεις τοῦδε; Praesens, quod sequitur, ἔξεστι alterum traxit.

Ai. 1233. κοὔτε στρατηγοὺς οὔτε ναυάρχους μολεῖν
ἡμᾶς Ἀχαιῶν οὔτε σοῦ διωμόσω.

Teucer de Achivis omnibus talia nusquam pronuntiaverat: immo omnis eius oratio id spectaverat, ut Aiacem in Agamemnonis potestate fuisse negaret. Jam hoc opprobrium, quod Agamemno in Teucrum coniicit, prorsus falsum videri debet: nec ita excusari potest, ut excusaveruut interpretes, cum aucta dicunt et exaggerata ea quae Teucer supra dixerit. Levissima mutatione haec emendari possunt, si scribimus Αἴαντος ἡμᾶς. Videlicet postquam Αἴαντος casu quodam in alterum versus locum translatum est, versus ratio caussa fuit, ut Ἀχαιῶν seriberetur.

Ai. 1238. πικροὺς ἔοιγμεν τῶν Ἀχιλλείων ὅπλων
ἀγῶνας Ἀργείοισι κηρῦξαι τότε —

Hoc voluerant Atridae, cum ad certamen illud armorum Graecos convocarent, ut iudicio de armis facto Aiacis superbia infringeretur: nec enim iuris illa, sed dignitatis controversia erat: arma illa cui adiudicarentur, ille melior vir esse, melius de Graecis meruisse videbatur. Sed si Teucer ne nunc quidem cedere iudicioque illi se summittere volet, vana sunt, quae speraverunt, conciditque ipsius iudicii auctoritas omnis. Haec huius loci sententia est. Sed huic parum convenit vox πικρούς. Acerba illa certamina sunt: sed cuinam acerba? Id quidem addendum erat et addi facile poterat. Sed ipse Agamemno in sequentibus versibus instat, si haec ferantur, legum auctoritatem statumque reipublicae convelli: οὐκ ἄν ποτε κατάστασις γένοιτ' ἂν οὐδενὸς νόμου. Ergo non tam acerba illa iudicia videntur, quam inutilia; spem fefellerunt, eaque demum de caussa acerba sunt. Quid multa? requiritur adiectivum, quo illud significetur, videlicet ψυχρούς, atque in memoriam redeunt **frigida fomenta curarum**, quae item illud non efficiunt, quod efficere debent.

Ai. 1279. ——— ἀμφὶ μὲν νεῶν
ἄκροισιν ἤδη ναυτικοῖς ἑδωλίοις
πυρὸς φλέγοντος, εἰς δὲ ναυτικὰ σκάφη
πηδῶντος ἄρδην Ἕκτορος τάφρων ὕπερ.

Fossam ac munimenta castrorum Hector iam antea superaverat ac perruperat, quam ignis circa naves saevire poterat: ab ipso enim Hectore ignis in naves coniectus erat: praeterea vero aliquantum spatii inter fossam et naves erat, non solum ut tentoria Graecorum illis munimentis includerentur, sed etiam ut essent ampla spatia, in quibus Graeci congregarentur. Absurde igitur dictum videtur, Hectorem ὑπὲρ τάφρων ἄρδην desiluisse in naves Graecorum. Corruptio in ipso illo τάφρων inest, pro quo equidem scribo σταύρων. Σταυρώματα enim sunt munimenta vel navium vel murorum, quibus ne quis nullo negotio desuper in navim vel urbem desiliat cavetur. Atque his quasi ex altera parte respondent ἑδώλια, quae describunt inferiorem ipsius navis partem, in qua navis aeque nitatur atque aedes in ἑδωλίοις i. e. fundamentis aedium. Haec inferior pars iam, ut vides, igni supposito infestatur, in superiorem desuper vero ὑπὲρ σταύρων impetum Hector facit. Vix autem est quod moneam, sono vocis Ἕκτορος τάφρων et Ἕκτορος σταύρων discerni non potuisse.

Ai. 1281. ὃν ουδαμοῦ φῂς οὐδὲ συμβῆναι ποδί.

Haec verba pluribus, quam fortasse primo aspectu videtur, difficultatibus laborant. Atque illud quidem iam pridem ab aliis observatum est, συμβῆναι voci, neque simplici neque cum ποδί coniunctae, eam inesse vim, ut pugnantium congressum describeret. Immo vero de eis dici, qui vel pace vel iudiciis inter se conciliarentur. Quare Hartungius, nisi fallor, συμβαλεῖν emendavit. Sed etiamsi id probes, manent tamen alia atque difficiliora. Agamemno enim nusquam dixerat, Aiacem imbellem et ignavum pugnis ita abstinuisse, ut ne minime quidem eis se immisceret: ac nisi plane insaniret, tale quid ne potuerat quidem dicere. Sed hoc negaverat, Aiacem suo quasi Marte rem egisse; hoc item Aiacem ita ceteris Graecis ipsoque Agammemnone superiorem fuisse, ut sibi visus esset: ποῦ βάντος ἢ ποῖ στάντος, ait, οὗπερ οὐκ ἐγώ 1237. Ergo licebat Agamemnoni, si Teucer haec evomeret, illum paucissimis verbis redarguere: haec tu mentiris. Omnis potius vis demonstrationis in eo posita est, ut Teucer doceat, Aiacem re vera suis anspiciis et ultro pugnavisse. Eiusmodi notio, ne hic versus cum superioribus prorsus dissentiat, hic reponenda est. Ea est vel αὐτός i. e. ultro, vel similis. Atque litterarum formam et ductum qui respiciat, fortasse haud improbabit, quod proponimus: ὃν οὐδαμοῦ φῂς σοῦ γ' ἄνευ στῆναι ποδί. Hanc rationem qui non probet, is non intelligo quo alio modo haec expediturus sit nisi hoc versu et sequenti eiectis.

Ai. 1310. —— —— ἢ τῆς σῆς ὑπὲρ
γυναικὸς ἢ τοῦ σοῦ θ' ὁμαίμονος λέγω.

Si haec Sophocles vel quicunque hanc extremam Aiacis partem composuit scripsit, gravissime erravit, ut vix verisimile est Graecum hominem errare potuisse.

Nec enim pro Clytaemnestra, sed pro Helena Graeci pugnaverunt. Quare necesse erat, quicunque diligentius haecce legeret, de verbis τῆς σῆς magnopere dubitare. Atque verisimile est, eo loco verbum scriptum fuisse, quod idem fere atque αἰσχρᾶς, denotaret, quamquam αἰσχρᾶς ipsa ea quam quaerimus, vox non est: desideratur enim vox in — σσης exiens, quam mihi videor apud Hesychium deprehendisse s. v γλιττόν, cum quo prorsus convenit γλοτόν, quod ipsum eplicat: ἡ κακοήϑης ἵππος καὶ πολὺ δεικ..... παρὰ Σοφοκλεῖ. Haec si fuit vis vocis γλισσός, ut equam libidine furiantem describeret, vide quam bene γλισσῆς γυναικός de Helena dici potuerit.

Ai. 1378. καὶ τὸν ϑανόντα τόνδε συνϑάπτειν ϑέλω
καὶ ξυμπονεῖν καὶ μηδὲν ἐλλείπειν ὅσων
χρὴ τοῖς ἀρίστοις ἀνδράσι πονεῖν βροτούς.

Etsi minus laborandum est, si veteres poetae eodem verbo intra paucos versus identidem usi sunt, tamen particulae καὶ — καὶ indicant, in utraque enuntiationis parte de diversis rebus agi. Ac re vera vel opera opus erat in ornanda sepultura vel victimis aliisque rebus satis magni pretii. Καὶ συμπονεῖν iam operam illam respicit, καὶ μηδὲν ἐλλείπειν et sequentia res ad sepulturam necessarias: quare non dubito quin pro πονεῖν reponendum sit πορεῖν. Atque sic etiam versui 1398. quem omnem locum etiam alii merito in suspicionem vocaverunt, facilis medela adhiberi poterit, si mecum scribas: τὰ δ' ἐλλείποντα, ea quae desint i. e. quae ex Aiacis opibus comparari nequeant, de meo praebebo. Sic praecedentia conservantur: τάφου μὲν ὀκνῶ etc. ab ipsa sepultura velim te removeas, τὰ δ' ἄλλα καὶ ξύμπρασσε etc. in ceteris vero tu nobis adsis, ut ludos instruas et concelebres, aliosque etiam ex exercitu invites. Apparatum vero, si quid desit, equidem supplebo.

Phil. 72. σὺ μὲν πέπλευκας, οὔτ' ἔνορκος οὐδενί,
οὔτ' ἐξ ἀνάγκης, οὔτε τοῦ πρώτου στόλου.

